



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med. 25. De hominis creatione in die sexta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

benedictionem, vt caro mea multiplicet affectus tibi placentes, quibus anima ipsa vtatur & iuuetur ad tibi seruiendum, magis feruenter in secula, Amen.

*MEDITATIO XXV.*  
**DE CREATIONE HOMINIS.**

PUNCTVM I.

*Gen. 1. 26.*



**IT DEVS** faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & praestit piscibus maris, & volatilibus caeli, & bestijs vniuersaeque terra, omniq[ue] reptili, quod mouetur in terra.

CONSIDERANDVM est primo, quod eodem die sexto, quo Deus fecit animalia terrestria, voluit etiam hominem facere. circa quod tria singularia sunt expendenda.

1.

Primum quod particulari mysterio noluerit integrum diem hominis creationi assignare, sicut formationi lucis constituit; sed eodem sexto die illum creauit, quo alia animalia terrestria, quia cum eis in parte corporis & sentiente conueniebat; vt sic fundamentum iaceret humilitatis, agnoscens vilitatem, qua hoc nomine haberet. cum enim Deus esset hominem ad magnas excellentias euecturus,

rus,

rus, expediebat vilitates aliquas illi admisce-  
re, quæ illum, ne euanesceret, continerent:  
quam rationem semper Deus Dominus noster  
seruauit, vt ijs quæ extollere possunt, admif-  
ceret aliquid, quod ad ima deprimeret, vt  
fundaremur in humilitate, sine qua nulla alti-  
tudo secreta consistet.

*Secundum est*, quod Deus creauerit homi-  
nem post cetera animalia, nam vt in creatione  
viuentium ab imperfectioribus incepit, & as-  
cendit ad perfectiora, primò enim fecit plan-  
tas, deinde pisces, mox aues, postea animalia  
terrena, ac deniq; hominem, qui est perfectis-  
simus; ita vult, seruos suos, in suis actionibus,  
procedere; à minoribus scilicet ad maiora, &  
quotidie crescere in perfectione; vt secunda  
die agant perfectius quàm prima, & in tertia  
perfectius quàm in secunda, & ita quotidie as-  
cendant de virtute in virtutem, donec ad per-  
fectionis culmen perueniant, cum singulis  
horum sex dierum fecerit Deus res ali-  
quas nouas, aliam aliâ præstantiorem; aut per-  
fecerit quas antea fecerat: ita cupit vt eius ele-  
cti ipsi *cantent CANTICA NOVA & spiri-* *a Epho. 5. 19.*  
*ualia, cantantes & psallentes in cordibus suis*  
*Domino, gratias agentes semper pro omnibus, &*  
*vt NOVA illi offerant obsequia, nouo feruo-*  
*re, nouo spiritu, & nouitate affectuum inter-*  
*iorum circa eius magnitudinem & maiesta-*  
*tem. & quoniam aduertis, anima mea, Deum*  
*nouam tantum creaturam magni facere, stu-* *b Gal. 6. 15.*  
*de diligenter, noua quotidie pia opera exer-*

II.

cEph. 2. 10.

## III.

cere; non tamen tibi illa attribuens, sed ei, qui ea in te *creat*, per merita *Christi IESU*, in *operibus bonis*, cui debes pro illis gloriam.

S. Ambros.  
Epist. 38. ad  
Horatium.

TERTIVM est, quod omnium rerum vltimum creauerit Deus hominem; in quo omnia creationis opera sex horum dierum finem habuerint: vt intelligeretur, ipsum esse omnium illarum finem, in quo tanquam in paruo mundo omnia colligerentur; & totum ædificium ornatumque huius mundi visibilis fuisse destinatum, vt esset ipse domus & habitatio. Quod totum paterna prouidentia preparauit & prouidit antequam hominem ipsum crearet; vt statim atque ipse creatus esset, recreare posset suos oculos pulchritudine rerum quas videret; aures musicâ & concentu auium, quas audiret; & gustatum oblectare sapore ciborum, qui appositi erant in mensa, à Deo ipsi præparata: & sic de ceteris. O Pater amantissime, si antequam me creares, tot bona mihi præparasti in hoc mundo visibili, vbi mea habitatio breuis est futura, quanto maiora præparaueris in mundo inuisibili, in quo habitatio mea est futura æterna! Gratiarum quantas possum ago pro his & illis. & siquidem, Domine, priora mihi præparasti, quæ me iuuarent ad secunda peruenire, concede mihi, ita viuere in hoc mundo visibili, vt ascendam postea ad inuisibilem, vbi semper te fruor,  
Amen.

## PUNCTVM II.

**C**ONSIDERANDVM deinde est altissimum sanctissimæ Trinitatis consilium circa hominis creationem; quod insinuat primis illis verbis; *a FACIAMVS HOMINEM*. In quibus latent magna mysteria, quæ sunt hic perpendenda.

a Gen. 1.26.

## I.

PRIMUM est, quòd non dixerit Deus de homine, quod de alijs rebus; *fiat homo*, aut: *producat terra hominem*; vt significaret hominis excellentiam, qui propter partem eius nobiliorem, scilicet animam, nec potuit produci à terra, neque ab aqua, sed à solo Deo, cœli & terræ Conditore; vt intelligamus nos teneri ad ipsum super omnia diligendum, tanquam vnicum nostrum principium, à quo nostrum omne bonum procedit, & ei soli seruandum, & ab eo petendum, vt nos perficiat, cui dicamus, *b O Deus virtutum, respice de cælo, & vide, & perfice vineam hanc animæ meæ, quam plantauit dextera tua.*

b Psal. 19. 15.

## II.

DEINDE dixit in plurali, *FACIAMVS HOMINEM ad imaginem NOSTRAM*; quo notitiam aliquam mysterij sanctissimæ Trinitatis insinuauit, & quod oēs tres personæ ad hominis creationem concurrerent, cum maiori singularitate, quàm aliarum rerum, vt ei communicarent imaginem & similitudinem suam. Item, vt significaretur,

S. Greg. lib.  
9. Moral.  
c. 27.

quòd tres Diuinę personę, opus hoc aggred-  
rētur matura deliberatione & cōsilio; & qua-  
si inuicem se ad eius executionem exhortātes,  
nam cū totum rei exitum ante se haberent;  
viderentque, hominem futurum Creatori  
suo ingratum, & ipsius legem transgressu-  
rum; & porro caro sibi constitutum, reme-  
dium ex rigore iustitię adhibere; & arduum,  
eundem lapsum iustificare, & efficere, vt fi-  
nem suum vltimum, in quem illum creabant,  
consequeretur: His tamen difficultatibus  
nihil obstantibus, dixit Pater, Filio, & vter-  
que Spiritui sancto, & omnes tres magna re-  
solutione dicunt *FACIAMVS hominem ad  
imaginem & similitudinem NOSTRAM.*  
O amantissime & misericordissime Creator,  
quid te permouit ad eam creaturam crean-  
dam, quę tuę bonitati adeo esset ingrata  
cur ei dedisti esse, qui adeo malè esset illud  
collocaturus? quomodo ad tuam imagi-  
nem & similitudinem illum creasti, qui  
suis peccatis eandem erat obscuraturus? fa-  
cilè quidem tibi fuit illum creare; valde  
tamen laboriosum & carum erit eundem re-  
parare. & nihilominus certo decreto dicis,  
*faciamus hominem.* O Dilecte animę meę,  
quid tibi reddam pro adeo beneuola tuā de-  
liberatione? cupio & ego aliam huic simi-  
lem facere, statuens, strenuè vincere quam-  
cunque difficultatem, quę me à tuo seruicio  
retardet; siquidem tu adeo beneuole me crea-  
re decreuisti.

HINC

III.

HINC etiam discam, ad imitationem Creatoris, antequam res arduas & graues aggrediar consultare circa eas, & maturum adhibere consilium, praecogitareque, quid illud sit, quod facere aggredior ne quod postea euenit, ut nouum mihi accidat, & fecisse me poeniteat, iuxta illud Ecclesiastici; *c fili sine co* *c Eccl 32.*  
*silio nihil facias, & post factum non poenitebis: d* *24.*  
*Consiliarius autem sit tibi vnus de mille, Deus i* *d Eccl. 6. 6.*  
*ple videlicet Trinus & Vnus, vt e consilium* *e Psal 118.*  
*meum semper sint iustificationes eius, quas in* *24.*  
*sua lege nobis proposuit.*

IV.

DENIQUE perpengam, Deum dixisse verbum illud: FACIAMVS; ad significandum, se creare hominem, cum quo familiariter posset conuersari, eo quod rationis & amicitiae suae faceret illum capacem, atque si diceretur inter omnia visibilia quae creauimus, non est cum quo possumus conuersari, faciamus itaque hominem, qui nostrae communicationis & conuersationis sit capax. O sapientia aeterna, cuius *delicia* in exordio Creationis mundi, fuerunt, creare *filios hominum, & esse* *f Prou. 8. 37.*  
*cum illis, siquidem me tuae conuersationis ca*  
*pacem creasti, imple finem huius creationis,*  
*familiariter mecum agevs.*

PUNCTVM II.

TERTIO considerandum, quod Deus *s. Thoms. 2.*  
*Trinus & Vnus, ita hominem ad suam* *q 93*  
*imaginem & similitudinem creauerit.*



vt animam (in qua præcipuè hæc imago consistit) dederit, sibi ipsi similem, in supremo gradu Esse intellectualis, & in excellentissimis diuinitatis suæ perfectionibus, quæ possunt creaturis communicari. Quas excellentias reducemus ad sex, & in singulis perpendemus præstantiam huius beneficij.

I. PRIMA excellentia animæ nostræ, per quam est a *imago Dei & gloria eius*, ea est, quòd sicut Deus est purus spiritus, ac propterea carnis oculis inuisibilis, & in loco, in quo est, indiuisibilis; nam in quacunque eius parte est eminentissime totus, illum conseruans, dansque esse, vitam, & motum rei, in qua est, eo modo, quo illa eius est capax; ita anima nostra est purus spiritus, & inuisibilis oculis corporis, nisi quod ex effectibus, quos habet in corpore, in eo illa esse deprehenditur: in quo tamen est indiuisibiliter, ita vt tota sit in oculis, tota in auribus, tota in manibus, & in singulis partibus ac membris, dans vnicuique esse, & modum vitæ, ac motum, & officium quod in eo habet. Et ideò b *auferente DEO* (vt ait Dauid) *hunc spiritum hominis, deficiat ille, & in puluerem suum corpus reuertitur.* Propter quod totum par est, nostrum spiritum, cum omnibus membris, in quibus est glorificare DEVM, & adhibere illa omnia tanquam linguas. quæ illum benedicant. O Spiritus infinite, qui varios spiritus

a 1. Cor. 21. 5

S. Thom. 1.  
p. q. 75. a. 2.

b P. 103. 29.



tus in coelo & in terra creati, c quite ad-  
 orarent in spiritu, & veritate, qui a tu, cum  
 sis spiritus, tales quæris adoratores. Ego  
 te adoro & glorifico, propter Spiritum  
 quem mihi dedisti, ego cupio tibi seruire,  
 & eo d spiritu facta carnis mortificare, vt spi-  
 ritus meus tibi soli viuat, & tuus in meo in  
 æternum.

c Ioan. 4. 23

d Rom. 8. 13

## II.

SÆCVNDA excellentia est, quod sicut Deus  
 est immortalis; & quamuis in mundo hoc sit,  
 non tamen ab eo dependet; & si mundus & e  
 celum & terra perirent, Deus tamen perman-  
 neret in se ipso, idemque ipse esset; ita anima  
 nostra, etiamsi sit in mortali hoc corpore, e-  
 ius tamen esse à corpore non dependet: &  
 quando corpus moritur, & f in puluerem  
 reuertitur ex quo fuerat sumptum, non  
 tamen moritur spiritus, sed permanet, reditq;  
 ad Deum, qui dedit illum, vt ab eo designatum  
 locum accipiat, in quo viuat iuxta sua merita.  
 O Rex seculorum immortalis, & inuisibi-  
 lis, h qui solus habes immortalitatem, per tuam  
 essentiam, gratias tibi, quod per participatio-  
 nem etiam dederis animæ meæ immortalita-  
 tem, à tua voluntate dependentem, sine qua  
 etiam esse desineret, & cum qua semper illam  
 retinebit; supplico humiliter, vt quando illa  
 ex corpore hoc mortali exiuerit, sicut ei dedi-  
 sti immortalitatem nature, ita concedas immor-  
 talitatem gratiæ, vt libera ab immortalitate  
 inferni, vitam viuat immortalem in coelo in  
 æternum, Amen.

e Psal 101.  
27.S. Thom. 1.  
p. q. 75. a. 6.  
f Eccl. 12. 7.g 1. Tim. 1.  
17.  
h c. 6. 16.

TERCIA animæ excellentia est, quòd cum sit in vna; tres habeat nobilissimas facultates, cum tribus nobilissimorum actuum generibus, INTELLECTVM videlicet, quo res cognoscit, tam corporales quàm spirituales, & ratiocinatur de omnibus creaturis, cœlestibus & terrenis; & MEMORIAM, qua recordatur rerum, quas intellexit, & præteritas tanquam præsentis habet; ac denique VOLUNTATEM, qua vult, diligit, aut detestatur quod cognovit, Ex quo procedit, vt anima nostra nõ solũ in se habeat imaginẽ diuinitatis, sed etiã Trinitatis S S. nã vt Pater æternus se intelligens, producit verbum, scilicet filium; & hi duo se intelligentes, producant amorem, qui est Spiritus S. ita anima nostra suis potentiis respicere potest Deum; & intellectu producit intra se quoddam verbum, & conceptum ei similem qui est Deus; & voluntate producit alium amorem sanctum Dei, qui ipsam faciat sanctam, & in hoc (ait S. Thomas) est præcipua excellentia animæ nostræ, qua est imago sanctissimæ Trinitatis.

## I V.

QUARTA excellentia, quæ ex proxima oritur est, quod habeat liberum arbitrium, diuino simile, ad eò generosum ad volendum aut nolendum quod illi placet, vt non sit possibile illam cogere contra suam propensionem: nec vllus homo aut Angelus aliquam illi potest necessitatem inferre, quia solũ est subiecta suo Creatori, qui i reliquit hominem in manu consilij sui, & in eius voluntate posuit

S. Thom. 1.  
p. 2. q. 93. a. 5.

7. q. 8.

S. Thom. 1.  
p. 2. q. 83. q. 1.  
2. q. 6. a. 4.  
q. 9. a. 6.  
i Eccl. 15. 14.  
i Dent. 30.  
15.

vit. am

vitam & mortem, bonum & malum, ut ad quod  
 voluerit, porrigat manum suam. O Creator O-  
 mnipotens, qui gloriaris, te habere creaturas  
 aliquas liberas libertate scilicet quam tu il-  
 lis impertiris, en reddo tibi, quam mihi dedi-  
 sti, optans semper illa uti ad id solum ample-  
 ctendum, quod tu volueris, eò enim perfectius  
 erit liberum meum arbitrium, quò tuo erit  
 conformius.

V.

QUINTA animæ excellentia, quæ ex vtra-  
 que precedente oritur, est, quòd sit capax sa-  
 pientia, & scientia, virtutis, & gratia, beati-  
 tudinis & gloria, & omnium donorum na-  
 turalium & supernaturalium, quæ potest illi  
 Deus dare. Habet enim tantam capacitatem,  
 ut solus ipse Deus facere illam possit; & quæ  
 non videt & possidet Deum, non est possi-  
 bile illam esse saturam. In qua re valde emi-  
 net, imago Dei in ipsa; siquidem ut Deus non  
 potest faceri vlla realia, nisi se ipso; sic ani-  
 mæ capacitas & desiderium non potest im-  
 pleri, nisi ipso Deo. O Deus infinite, siquidem  
 infinitam mihi capacitatem dedisti, ne per-  
 mittas illam esse in me vacuam, & quia in te  
 solo sunt omnia bona, te ipso imple me, tu e-  
 nim solus mihi sufficis.

VI.

SIXTA excellentia est, quod sicut Deus est  
 Dominus supremus rerum omnium, quas e-  
 minenter in se continet, & habet imperium &  
 potestatem super illas; estque finis vltimus,  
 ad quem omnes diriguntur; ita homo, ratione  
 præcipue animæ suæ, est supremus omnium

creatu-

creaturarum visibilium corporearum, nam & coeli, & stellæ, vt supradictum est, sunt illi subiectæ, & in eius ministerio occupantur. In se ipso includit gradus omnes rerum, corporum, plantarum, animalium, & Angelorum; & tanquam abbreviatus mundus & contractus, continet quidquid est in explicato hoc & extenso mundo, & præsidet cum magna potestate rebus omnibus, quæ sunt in terra, vt in 5. puncto dicetur.

Ex his sex considerationibus sequitur, quod Esse factum ad imaginem Dei, sit excellentia singularis, & propria hominis inter creaturas corporeas, quæ non sunt imago, sed veluti quædam linea aut vestigium magnitudinis Dei & eius Trinitatis. Ideoque merito animam meam excitabo, vt nobilitatem & ingenuitatem suam agnoscens, ab ea non degeneret; sed totam se tradat Deo, reuocans sibi in memoriam, quod Christus Dominus dixit & interrogantibus, num liceret censum dare Casari an non: cuius, inquit, est imago hæc & scriptura per scriptio? & dicentibus, esse Casari, ait ipse: reddite ergo quæ sunt Casari Casari, & quæ sunt Dei, Deo. Atque si diceret; siquidem imagine huius denarii, quo vtimini, protestamini vos subditos esse Casari, reddite ei, quod huius subiectionis nomine debetis; quia id pertinet ad ipsum: sed reddite quoque Deo, quod ei debetis. Ingredere, anima mea, & rationes ipsa pone tecum atque interroga te ipsam, cuius hæc est imago, quæ est intra

3. Thom. 1.

p. q. 45. a. 7.

& q. 92. a. 2.

k Matt. 22.

20.

Marc. 12. 16

Luc. 20. 24.

te & in te? num est imago Cæsaris? an mūd? an carnis? an alterius rei creatæ, maioris te aut melioris? Agnosce tuam excellentiam: nam ista imago nō alterius est quàm ipsiusmet Dei, qui sua infinita leberalitate creauit te ad imaginem suam: da itaque Deo quod est Dei; agnosce per hanc imaginem subiectionem, quam illi debes; redde ei tributum, quod tibi imposuit. Et siquidem tu ipsa es denarius huius eributi, in quo tui Regis imago est expressa, trade te totam eius obsequio, quia totam te debes ei, qui tibi dedit quidquid es.

HAC ratione licebit discurrere per sex prædictas excellentias, in quibus huius imaginis ratio elucet, interrogando me ipsū; tuus spiritus cuius imago est? si est imago spiritus Dei, da illum totum Deo, & fac vt sis vnus spiritus cum eo; anima tua cum tribus suis facultatibus cuius est? si est imago Trinitatis sanctissimæ, da Trinitati quod est Trinitatis, vt seruias ei, qui vnus est & Trinus, in æternum. Amen.

## PUNCTVM IV.

QUARTO est considerandum, quòd Deus Dominus noster non solùm creauerit hominem ad imaginem suam, sed etiam ad similitudinem; ita vt imago esset perfectissima, & exemplari similis, ex quo erat decepta. quare non contentus quod hominem creasset ad suam imaginem, secundam

natu.

*S. Thom. 1.*

*p. 93. a. 9.*

*S. Basil.*

*Amb. &*

*alij.*

I Eccl 7.30.  
x. p. q. 95. n.  
1.

naturam, ut dictum est; creauit etiam Adamū ad suam similitudinem, dans ei esse gratiæ & iustitiæ originale. quomobrem dixit sapiens: *I quod fecerit Deus hominem rectum, quia opera Dei sunt perfecta, & nunquam inania aut vacua ab illa perfectione, quam pro eo tempore habere possent, iuxta finem in quem creantur. & quoniam Adamus factus ad imaginem Dei, capax erat eius gratiæ & amicitæ voluit cum hac perfectione creare, incipiens implere illam eius vacuitatem & capacitatem, quam ex natura sua habebat ad dona supernaturalia.*

II.  
q. 95. n. 3.

in Gal 5.19.

HINC etiam prouenit, ut similitudo in Esse gratiæ, quam Deus dedit Adamo, fuerit perfectissima; quia non solum animam sanctificauit, rectificauit, & sibi conformem fecit, sed etiam plenum imperium & potestatem illi dedit super omnes suas passiones, ita ut libera sua voluntate appetentibus facultatibus imperaret; & illæ actus suos eliceret tanto tempore, & tanta iustensione, sicut ipsa voluntas veller; nulla contra rationem vel tentata rebellionem, vel pugna & contradictionem, qualis nunc est *inter carnem & spiritum*, & ad eiusdem Dei similitudinem, habebat pacem in regno suo interno, ita ut nihil in eo esset, quod eius liberæ voluntati resisteret.

III.

HINC etiam prouenit, ut imago & similitudo Dei, quæ præcipuè est in anima, deriuetur etiam ad corpus, non solum propter reseruitudinem quam habet, dum incedit creditū, & ad

& ad cœlum eleuatum; sed etiam propter participationem immortalitatis, quam anima illi communicauit, in cuius potestate erat nunquam mori, sicut reuera nunquam fuisset mortuum, nisi supervenisset peccatum.

1. p. 9. 67.  
2. r.

HAC ratione Deus creauit Adamum & Euam, ad imaginem & similitudinem suam, qui quamuis soli, hoc vltimum bonum supernaturale habuerint, quia sua culpa illud sibi & suis posteris perdiderunt; voluntas tamen Dei fuit, & illis & eorum posteris illud dare, si ipsius mandatis obedirent. propter hanc ergo eius voluntatem, merito Deo gratias agam, & in meis debitis ponam tria hæc bona & beneficia, quæ Deus contulit primis parentibus, atque si mihi contulisset, & supplicabo, vt quandoquidem illam similitudinem amisi, dignetur ipse illam sua gratia reparare. O verbum diuinum, *in imago inuisibilis* aeterni Patris, qui in hunc mundum venisti ad refarcienda damna hominis, quem ad tuam imaginem creasti, ad reparandam similitudinem in Esse gratiæ, quam sua culpa sibi & omnibus amisit, respice oculis misericordiaz, pauperem animam meam; recognosce quam fecisti, quamuis defœdatam ijs, quæ ego feci; & siquidem ego illi abstuli splendorem gratiæ, quam in baptismo ei dedisti, restitue illam pœnitenti, deleaturque malum, quod ego in ea feci, vt suum habeat splendorem imago, quam tu creasti. O Pater misericordiarum, qui tuos *Electos praedestinasti*,

2. Col. 2. 15.

o Rom. 8.  
29.

pt. Ioan. 3. 2

conformes fieri imaginis Filij tui; & me quæ-  
so ita illi conforma in sanctitate, vt p̄ cūm ap-  
paruerit, perfectè similis ei sim in gloria.  
Amen.

PUNCTVM V.

a Gen. 1. 26  
S. Thom. 1.  
p. 9. 36.

**Q**VINTÒ est considerandum, quòd Deus  
Dominus noster fecerit hominem etiã,  
a vt præesset piscibus maris & volatilibus  
caelis & bestis vniuersaq; terra, omniq; reptili  
quod mouetur in terra.

I.

b Psal. 8. 5.

**CIRCA** quod perpendenda primùm est  
hominis excellentia, quatenus factus est ad i-  
maginem Dei. Ex quo prouenit, quod vt  
Deus est omnium creaturarum supremus  
Dominus, ita homo fit ei similis in eo, quod  
fit superior omnibus creaturis terræ, habet  
que plenum earum dominium, vt eis ad suum  
obsequium vtatur, & possit absque iniuriã  
illas occidere, suæ recreationis aut sustenta-  
tionis causa: quare vehementer admirans in-  
finitam Dei erga nos liberalitatem, dicam  
cum Dauide: b quid est homo, quod memor es  
eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? mi-  
nuisti enim eum paulò minus ab Angelis, glo-  
ria & honore coronasti eum; & constitisti  
eum super opera manuum tuarum. Omnia sub-  
iecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas,  
in super & pecora campi: Volucres caeli, & pis-  
ces maris, qui perambulant semitas maris.

Dom.



*Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Admirabile quidem est, quod cum tu sis, qui es, memor sis tamen rei ad eum abiectæ, atque est homo; Est quoque admirabile nomen tuum, quod eundem tanto honore & gloria coronaue- ris, ut ad imaginem & similitudinem tuam feceris: nec minus admirabile est, quod imperium illi & dominium tradideris super omnia opera manuum tuarum. Et quandoqui- dem tantum mihi bonum contulisti; æquum est, me prædicare admirabile tuum nomen, per vniuersam terram, & desiderare, ut omnes illud in summo honore habeant, & veneration- tur.*

DEINDE perpendenda est prouidentia Dei Domini nostri, tam erga animalia, quam erga homines in hac re. nam videns Deus res omnes, quas in terra creauerat, ob defe- ctum rationis, indigere aliquo gubernante, creauit hominem ad suam imaginem & simi- litudinē, ut omnibus illis præsideret, prospici- ens simul ipsi homini, de solatio & delicijs ad vitam transigendam necessarijs; sicut ad o- culum videmus, quod qui pascit oues suas; & illis benefacit, & sibi quoque ex eis prouidet. Hanc ob causam, *c adduxit Deus ad Adamum vniuersa animantia terra, & volatilia cæli,* ut illa agnosceret, & videret quid voca- ret ea, hoc est, nomen illis imponeret, & domini sui super omnia possessionem acciperet, & omnia illum tanquam suum

II.

c Gen. 2. 19.

Dominum suo modo recognoscerent, subitientibus se illi serpentibus, & feris, instar mansuetorum agnorum. Et hic fauor non ipsi soli exhibebatur, sed eius quoque posteris. Vnde postquam Adamum & Euam creasset, *d Gen. 1. 28.* dixit *d* *crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animalibus quæ mouentur super terram;* & quod consequens erat, mihi quoque in ipso Adamo idem fauor fuit exhibitus, & eodem iam gauderem, nisi ille peccasset.

VERVM adhuc post peccatum Adami, relucet hæc misericordia & prouidentia Dei erga hominem. nam, vt constat ex ijs, quæ ipse dixit Noe, reliquit illi plenum dominium & vsum omnium animalium, quæ illi poterant esse vsui: & adhuc præsidet piscibus, serpentibus, & feris, quas industria sua & arte piscatur, & sibi subiicit, non solum paruos pisces, sed cete etiam grandia, & venatur omne genus auium & animalium, etiam seruissimorum; & vt ait Sanctus Iacobus, *c Iacob. 3. 7.* *tura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana.* Ex quo duplex mihi oritur causa & ratio laudis & gratitudinis erga Deum, propter hoc beneficium; vt eam gratitudinem ostendam, præsidendo & domando bestiales meæ carnis appetitiones, quas significant quatuor illa genera animalium, quæ Deus nobis subiecit; passiones scilicet appetitionis carnis,

nis, per pisces significatas; passiones superbiæ  
 & ambitionis, per volatilia; passiones cupi-  
 ditatis rerum terrenarum, per serpentes; ac  
 denique iræ & vindictæ perturbaciones, sig-  
 nificatas per feras & crudeles terræ bestias.  
 O Deus omnipotens, qui dedisti homini do-  
 minium & industriam, ad quatuor animalium  
 genera perdomanda; da mihi copiosam tuam  
 gratiam, vt meas passiones & naturæ propen-  
 siones, per ea significatas, domare & subiicere  
 possim: *f. linguam nullus hominum domare po-  
 test per se ipsum, quia omnes quatuor pas-  
 siones, ad illam irritandam conueniunt:*  
*sed gracia tamen tua facile fiet, quod nobis  
 est difficillimum: doma tu illam Domine*  
 Omnipotentia tua, vt ex nunc non oc-  
 cupetur in aliis, quàm in tuis  
 laudibus, ob innumera be-  
 neficia in æternum.  
 Amen.

*f. Iacob. 3. 8.*

